



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Quinam illi fuerint occulti Domini nostri cruciatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

CAPVT XVI.

Quemadmodum nos par sit, in commentandis ac devenerandis occultis Christi cruciatibus, interdum exerceri.

§. I.

Quinam illi fuerint occulti Domini nostri cruciatibus.

Suggerit hanc etiam nobis industriam Thaulerus (& ex-
Seo Ludovicus Blofius) in sua pijsissima Dominica passio-
nis explicatione, de ijs præcipuè cruciatibus agens, quibus
dubium non est, totam eam noctem vexatum fuisse Redem-
ptorem, quâ à Principibus Sacerdotum reus mortis pro-
nunciatus, mansit in ministrorum manibus, eorum sevitia
ac libidini permisus: tametsi eos, Scriptores sacri particu-
latim omnes non expresserint.

Joannis Thauleri verba sunt ista in cap. 5, apud Blofii:
*Divi Hieronymi quidem sententia est (inquit) molestias illas &
penas, quas Domino illâ nocte intulere, ante extremi judicij
diem non fore manifestas. Unde devoti quig, qui in Dominica
se cupiunt passione exercere, aliquid ad honorem occultorum vi-
lorum Domini cruciatuum facere deberent, eosdemq; Patri-
lesti (cui utique bene noti sunt) pro suis occultis & ignotis offerre
peccatis. Sic ille.*

Conc. 92.

Locum S. Hieronymi non adscribit Thaulerus, neque
adhuc in eum incidi. Nam quod Fridericus Fornerus in suo
tractatu de Passione, etiam hæc plusculum exaggerata eidem
attribuit. scribenti in caput Matthæi 26. *Hieronymus (inqui-
ens) testatur tum turpia, tam obscæna, tam nefanda passum,*
*(dicente Marco: fecerunt in eum quacung, voluerunt) ut ea ad
turpitudinem noluerint Evangelista exprimere, verbisq; apertis
revelare, nec usq; ad judicij extremi diem manifestanda; nihil
inquam*

Marc. 9.

Matth. 17.

inquam eo in commentario inuenio. Cæterum dubitare fas non est (de quo in raptu quodã admonita est etiam S. Fran-^{L. 3. vit. c. 6.} cisca Romana) quin diversissimis indignissimisque modis à petulante turba, totam eam noctem dulcissimus Salvator exercitus sit: sive quòd ea sex hominum, suopte ingenio petulans & procax, de hominis innocentissimi ludibrijs sui oblectandi materiam quærerent, vigilatæ noctis tædia hac quoque arte fallere volentes; sive quòd eã re ad Dominorum ingenia propensionemq; se fingerent, & eo quem illi odissent, quibusvis seu dictis seu factis improbis divexando obruendõq; , eorum oculis servire ac placere vellent. Planè ut à recenter sudato sanguine, alijsq; molestijs exhausto Redemptori, quietis pars nulla, & ne respirandi quidem spatium ullum concederetur.

Sanè ad verborum contumelias quod attinet; ijs variè atrocitèr; oneratum fuisse Christum, apertè significat S. Lucas; qui cùm retulisset improbos illos satellites ei velut pseudoprophetae velatione faciei & scommatis petulantes, illulisse, subjungit: *Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum.* ^{Luca 22.} Ut jam tum videatur impletum esse, quod Threnorum cap: 3. dicitur: *Dabit percutienti se maxillam; saturabitur opprobrijs:* qua quidem voce, dum opprobrijs saturandus dicitur, tanta eorum indicatur futura copia, ut tamen ea Christus avidè desideraturus sit, ijs tamen repleti atque exsaturari possit. Quod autem ad factorum injuriam; addit Isaias, quod ab Evangelistis omissum est, non tantùm colaphis contusas genas, sed & pilorum barbæ (quod atrocis contumeliæ genus est) vellicatione atque evulsione vexatas. *Corpus meum* (inquit in persona Christi) *dedi percutientibus; & genas meas vellentibus, seu,* ut quidam vertunt, *depilantibus.* ^{Isai. 50.} Estq; omnino verisimile, pari petulantia etiam Nazaræi nostri sacram cæsariem violenter distractam, convulsam, laceratam fuisse: itèmq; (uti censent varij) pugno-

Y y z

rum

rum in eussu collum, humeros, pectus, & omne corpus ex-
le habitum, quin & humi afflictum, proculcatumq; scele-
rum illorum vestigijs, ipsūmq; adeo divinum vultum etiam
impactis unguibus crudeliter notatum atque confissum.
Sunt enim ista aliāq; hujusmodi, istorum hominum genio,
impunitatiq; ac licentiā, ipsiq; tempori ac loco planē con-
sentanea: cenferiq; possunt, ijs quæ sacri Evangelistæ ex-
primunt subindicata & comprehensa; secundum illud S.

Can. 32. in
Matth.

Hilarij: *In palmis atque sputis ad consummandam hominis hu-
militatem, universa in eum contumeliarum genera exerceban-
tur.* Planē enim jam tum extrema fuit Hominis Dei humi-
litas, & depressio tanta, ut mente confusus, de se merito

Psal. 21.

scriptum recognosceret: *Ego sum vermis, & non homo, op-
probrium hominum & abjectio plebis:* seu ut vertere maluit.

L. 3. con.

Tertulliaus, *nullificamen populi;* cujus vim vocis postea

Marc. c. 7.

in loco ponderabimus.

Hæc igitur, & si quæ alia, acta fuere illius infandæ atq;
nefastæ noctis, quæ bono Jesu suprema exitit: hi actus fo-
nestæ comœdiæ, quâ per atrocem indignitatem factori suo
insultavere protervi vermiculi, & oblectando nocturno pu-
tio, ludos fecere Deum supremæ Majestatis.

§. 2.

Qui conveniat nos in ijs interdum exerceri.

QVocirca, sive ad sanctum amorem excitandum, sive ad
commiserationem, aliōsve piæ gratæq; mentis in affli-
ctissimum Redemptorem conciendos affectus, opportuna-
erit interdum hujus exercitij ratio, tribus hisce capitibus
constans. *Primum:* Ut quando eorum oculatorum do-
lorum Domini Jesu, quorum speciatim nullus Evangelista
meminit, nulla est apud plerosque, aut exigua recogitatio,
eos saltem ipsi interdum revolvamus animo: quo & aliorū
corriganus ac suppleamus incuriā, & nullam sit cruciatū
Domi-